

donatum est. Et si non habuerit testes ingenuos, qui ibidem presentes fuerunt in ipsa donatione, restituat ei quod ille promutuavit.

XV. Si quis domum aut villam alio donaverit, hoc quod donavit per donationis chartulam firmet, ita ut in ea donatione ipse donator propria manu subscribat, et ipsa donatio non minus tribus testibus roboretur. Si autem ipse donator et testes litteras nesciunt, unusquisque signum propria manu faciat et donatio ipsa ante curiales deferatur. Quod si in civitate eadem curiales non possunt inveniri, ad aliam civitatem, ubi inveniantur, deferatur.

XVI. Si quis mutuaverit tributario sive servo alieno sine iussu aut¹ conscientia domini sui, nihil a domino serbi exigit, neque a domo in qua habitat ille serbus; nisi de rebus servi qui mutuum accepit. Ita tamen, si tributum suum non habeat serbus ille completum, ante² dominum suum restituat tributa de labore suo, et tunc si aliquid remanserit de peculio ipsius, interpellet ille, qui illi impromutuavit; et serbum non tangat, sed sit domini sui.

XVII. Si quis ingenuum hominem captivum aut in fame oppressum emerit super quinque solidos numerum, reddatur illi sex; si decem emptus fuerit, reddat duodecim; quod si plures eum sol. emerit, his similia restituatur; et redeat ad libertatem.

XVIII. Si quis ingenuus absconse³ peculium ad custodiendum acceperit, et hoc se postea accepisse ipse negaverit, comprobetur ei, et reddat duplum. Si autem commendatum sibi ad custodiendum peculium per sua neglegentia perdiderit quolibet furto, restituat quod accepit. Quod si suam et alienam perdiderit causam, nihil dare cogatur.

XVIII. Si quis serbum fugacem venientem ad se suscepit, sive tributarium sive serbum, et ipse se dixerit liberum esse, adducat eum ante priorem civitatis aut ante tres vel quattuor, ante quorum praesentiam se ingenuum dicat. Et postmodum si eum dominus suus invenerit et probaverit, quod serbus ipsius fuerit, et si fuerit inventus, is qui eum ante testes suscepit, ipsum tantum solum reddat domino suo.

XX. Si cuiuslibet tributarius duxerit tributariam alienam uxorem, et procreaverit filios ex ea, medietatem de filiis tollat pater et alia medietatem uxor. Et si cuiuslibet ancilla tulerit serbum alienum, omnes filii matrem sequantur, et dominus eius mulieris habeat omnes.

Dass wir es im Vorstehenden mit einer gothischen Rechtsaufzeichnung zu thun haben, bedarf keines weiteren Beweises.

1) 'au' d. Hs.

2) = antea.

3) d. h. ohne Zeugen.